Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1493
Quelle:
Copyright:

tegram recitat, ſuas, ut vocat, breves obſervationes ſubdens, in quibus *Lutherum* et *Calvinum* acriter perſtringit, et demum ita concludit: *Ego interim et Britanniam me vidiſſe, et Britanniam deſeruiſſe exultabo: quia ex viſa Britannia in multis Catholicis veritatibus ſum confirmatus, et ex ipſius deſertione magno me animæ periculo liberandum eſſe diuinæ gratiæ tribuam: Sed neque deero quoad vixero pro vnione et concordia laborare, et* (ut) *omnes ex æquo a periculis, Deo opitulante, liberemur. Faxit Deus! Londini ex domo Sauoyenſi die 1. Mar. ſtylo veteri a natiuitate. 1622. Tui amantiſſimus M. Ant. de Dominis Archiep. Spalatenſis.* Occurrunt in hoc ἀπογραφῷ menda, non difficulter tamen tollenda. Ita in *Halli* Epiſtola *mortuis Laureoticis* pro *noctuis Loyoliticis*. Plurimum laborat Epiſtola ad *Gondomarium* italica. Ceterum, ut jam monui, ad retractandas infelicis *M. Antonii* res animum adjecturo non negligendum foret Συνταγμα iſtud; rectius enim multa de eo inde ſtatui poſſunt, quam quidem a Scriptoribus, praecipue Proteſtantibus, feruntur.

DCXLIV.

H 8 Codex chartaceus ital. Sec. XVIII. Folior. 68. 4. ἀπογραφος ex impreſſo hunc Titulum praefert: *Le Prime Nove Dell' altro Mondo, cioè L' Admirabile Hiſtoria et non meno neceſſaria & utile da eſſer letta & inteſa de ogni uno che ſtupenda intitulata La Vergine Venetiana Parte viſta, parte provata, & fideliſſimamente ſcritta per Gulielmo Poſtello primogenito della Reſtitutione, & ſpirituale padre di eſſa Vergine.* Additur: *Jeremiæ 31. Creavit Dominus Ibovah novum ſuper terram. Appreſſo del Auttore 1555.* Indicem Scriptorum, qui de *Guil. Poſtello Normanno Barentonienſe* homine non ab ingenio et eruditione magis, quam a deliriis famoſo tractaverunt, offerunt *Niceronus* T. VIII. p. 356. et *Joecherus* in *Lex. Eruditt.* Quaedam ab eo *Viennae* acta curatius excuſſi in *Hiſt. Typogr. Vien.* P. II. p. 518. Praeſenti Opuſculo, quod duplici *Prooemio* et XIV. *Capitibus* conſtat, exequitur Hiſtoriam Viſionum et Doctrinae Mulieris in limite Agri *Patavini* et *Veronenſis* circa an. 1496. natae, *Johannae* nomine, quae *Patavii* primum, tum *Venetiis* in Hoſpitali quodam aegrotis inſerviebat, ſeque in *Poſtelli* diſciplinam dederat. Operae pretium non eſt, immorari fatuis commentis, quibus ſe mutuo fallebant Magiſter hic et haec Diſcipula. Praecipua inde Capita exhibuit *Niceronus* p. 348. qui dubitabat, an praeter Exemplum a ſe inter Κειμηλια literaria *Bozii Pariſiis* tractatum aliud typis excuſum in *Europa* ſupereſſet. Sed adfertur in *Catal. Bibl. Uffenbach.* p. 767. et e Bibl. *Dresdenſi* recenſetur in *Memorab. Goetzii* T. II. p. 438. quo Lectorem remitto, duo notare contentus: primo, diſtinguendum eſſe Libellum noſtrum a gallico ejusdem *Poſtelli* inſcripto: